Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 865
Quelle:
Copyright:

Initium est: *Pastoralis curae me pondera fugere delitescendo voluisse* &c. ut in edit. *Maur. Paris.* 1705. T. II. *col.* 1. f. ad cujus Editionis perfectionem *Codex* non adspirat.

In *fol.* praevio legitur: *Hic liber pignoris loco a quodam baccalauriando pro floreno depositus est. Quis sit, quando etiam actum, annales docebunt.* Praeterea Membranae duae Contractus quosdam Sec. XIV. inter Privatos initos lingua germanica, sed valde truncatos exhibentes Codicem convestiunt.

CCCLXXXIX.

R. 2048 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 125. 4. min. luculente perscriptus, et rubricis enotatus continet *Librum Regule pastoralis cure Sancti Gregorii pape scriptum ad iohannem Episcopum.* Ita post Elenchum Capitum. Initium: *Pastoralis cure me pondera fugere* &c. Saepius utroque *Vol.* a me relatum Opus hic integrum, et probae lectionis est. Ad calcem legas: *Iste liber est Domus Porte beate Marie virginis. in Axpach ordinis Carthusien. patauien. Dyocess. fundacionis Domini Haydenrici de Meyssau nobilis Baronis. Et hunc librum habemus a Domino Petro sacerdote qui fuit Donatus noster.* Erant *Donati*, qui se et sua Ordini tradiderant, et continuo cum Religiosis residebant.

CCCXC.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 170. 4. non una manu exaratus, rubricis distinctus, et Bibliothecae Palat. a. 1721. oblatus a *Thoma M. Alfano* O. P. de quo ad plures Codices mentio, sequentia complectitur: I. praevio *Capitum* LXIV. Syllabo *Librum* seu *Regulam Pastoralem S. Gregorii M.* Pont. quae infit: *Pastoralis cure me pondera fugere* &c. et definit: *tui meriti manus* (me) *leuet.* Lectio multum est infra textum edit. *Maur.* Opp. T. II. *Paris.* 1705. *col.* 1. f. R. 64

II. *fol.* 67. sequuntur minutiora quaedam hoc ordine: 1) *Epistola hieronimi presbiteri ad damasum papam.* Spuria nempe illa: *Legi literas apostolatus tui* &c. T. XI. *Opp.* edit. *Vallars. col.* 277. et ne quidem integra. 2) *Sermo S. Johannis Os Auri.* Initium: *Et intravit Ihesus in templum Dei. Hoc erat proprium boni filii* &c. Lacinia *Homiliae* XXXVIII. in *Matth.* c. 21. *Joh. Chrysostomi.* 3) *Origenis.* Initium: *Sunt et alii in templo vendentes christi columbas* &c. Lacinia *Tractatus XV. in Matth.* 4) *Sermo Sancti Johannis Os Auri.* Initium: *Ideo fratres et dominus ipse criminum distraxit fastigia* &c. Fragmentum interpolatum ex *Homilia de Muliere Chananaea.* 5) *Sermo Sancti Johannis Os Auri.* Initium: *Postquam Dominus impios Sacerdotes super se irruentes* &c. Lacinia *Homiliae XLIII. in Matth.* c. 23. 6) Oratio Sec. XV. inserta ad B. V. *Mariam*, quam